PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 145r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



maiestas eius omnia penetrat Elementa
cuncta sue potencie attingit presencia. Ex
eum locus nullus est cogitacioni eius nihil
est occultum Omnia secreta uis uirtutis
eius irrumpit Nulla occulta sibi latere
patitur nullis obiacibus ut penetret im-
peditur. Ipse cogitaciones nouit. Ipse cor
inspicit. Quod intus agitur aut latet
uidet. Quod intus disponitur ipse compre-
hendit Etiam homo quod in se ignorat
ipse uidet. Nemo potest iam semetipsum
effugere Et si te non damnat publica
fama condemnat propria conscientia. Vis
autem numquam esse tristis. Bene uiue Secura
mens tristia leuiter sustinet. Bona
uita gaudium semper habet Conscientia
autem rei semper in pena est. Numquam securus est
reus animus Mens enim mala conscia propriis
agitatur stimulis. Si enim in bono per
mansueris tristicia elongabitur a te. Si
in iusticia perseueraueris tristicia non
occurrit tibi. Nec plaga nec mors te pur-
gat turbat. Si bene et pie uixeris. Con-
silium autem et opus tuum semper ad dominum conuerte
In omni opere tuo deum auxilium posce Omnia
diuine gracie diuino dono ascribe nihil
meritis tuis attribuas In uirtute tua
nihil presumas. In audacia nihil ponas

145